

lis agitur ; nisi ut amica Respublica belli Turcici suspicione implicetur , atque immanibus sumptibus publicas , privatasque fortunas exhauriat ? Quæ loca in Ionio , Aegeo , ac Syriaco mari possidet , cuncta pene in faucibus hostium sunt ; ceteris in rebus cum adest calamitas , tunc ærumnæ sentiuntur ; in bellis metus quoque ipse affert calamitatem . An vero quæ in universo Turcico imperio negotiatorum amplissimæ opes reperiuntur , negligendæ sunt ; quibus amissis , quantum Venetis detrimenti , tantum illis lucri , ac roboris accederet ? Quod si in consiliis capiundis opportunitates spectandæ sunt , quid minus huic tempori consentaneum , dum quotidie novis suspicionibus Turcarum animi urgentur ? Clissam Dalmatiæ oppidum a Petro Crucichio nostrorum auxiliis in potestatem redactam , Salonam occupatam : Cæsareanam classem com meatibus , quam plurimisque aliis rebus adjutam ; Coronem non sine Reipublicæ subditorum ope expugnatam . Cur igitur Venetorum damna , veluti fundamenta , novo huic fœderi jacere amicus Reipublicæ Imperator velit ? Cum hoc responso , atque Senatus ad Pontificem literis legati dimissi sunt . Id vero peropportune accidit , ut per eos dies duo Francisci Regis nomine Cardinales Bononiam accederent , qui optimam sui Regis propensamque in commune bonum , ac pacem voluntatem Clementi significarent ; peterentque , ne vanis malevolorum hominum dissipatis rumoribus aures præberet , neque ob eam rem novis consiliis animum adjiceret . Itaque Pontifex , ac Cæsar , iis , quæ Senatus nomine adducebantur , perpensis , tandem acquievire : id unum petebant , ut , Bononiensis fœderis conditionibus diligentius explicatis , militaribus præfectis mandaretur , ut ad omnes Insubrum motus in armis essent . Id vero minime necessarium Patres rebantur , cum ad primos bellorum tumultus , quæ ad illam provinciam tuendam ex fœdere deberent , statim curaturos suos duces constantissime assererent .

Cum igitur de societate cum Republica innovanda a Pontifice , ac Cæsare consilia abjecta essent , februario mense exeunte , fœdus inter Clementem , Carolum , ac reliquos Italiæ Principes , nempe Insubrum Ducem , Genuensem Rempublicam , Ferrariæ Ducem , Senenses , & Lucenses percussum , ac vulgatum est , quo Italiam communibus viribus defenderent .

*Cardinales
a Rege Gal-
liæ Bono-
niam missi .*

*Fœdus inter
Pontificem
Cæsarem &
Italos Prin-
cipes percus-
sum .*